



Index Librorvm Prohibitorvm Alexandri VII

Alexander

Romae, 1667

XXXII. Feria 5, Die 18. Septembris MDCXXV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81440](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81440)

vitatis Inquisitoribus districtè præcipit, ut in sua quisque Diocesi, vel Provincia sedulo pervigilent, ne sine approbationibus prædictis Imagines cum memoratis signis exponantur, aut miracula, revelationes, ac beneficia prædicta publicentur, aliaque contra superius disposita fiant. Transgressores verò, si Regulares fuerint, privationis, suorum officiorum, ac vocis activæ & passivæ, necnon & suspensionis à divinis: si vero Clerici sæculares, privationis pariter suorum officiorum, suspensionis à divinis, & ab administratione Sacramentorum, executioneque suorum ordinum respectivè aliisque arbitrio prædictorum Ordinariorum seu Inquisitorum pro modo culpæ infligendis poenis plectendo. Qui autem Libros impresserint, aut Imagines pinxerint, seu sculperint quoquomodo, effinxerint, vel formaverint, ceterique Artifices circa præmissa qualitercumque delinquentes, prædicta omnia amittant, & insuper pecuniariis aliisque etiam corporalibus poenis, iuxta criminis gravitatem eorum dem Ordinariis seu Inquisitorum arbitrio infligendis. Contrariis quibuscunque non obstantibus. Et ne præmissorum ignorantia possit ab aliquo prætendi, voluit, ut Decretum huiusmodi seu illius exemplum, ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum Urbis, ac in acie Campi Floræ affixum, omnes perinde arctet, atque afficiat, ac si vnicuique personæ alter notumatum fuisset. Quodque præsentium transumptis, etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, ac sigillo alicuius personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur, quæ præsentibus haberetur, si forent exhibita, vel ostensa.

Io. Antonius Thomasius S. R. & universalis Inquisitor, Not.

XXXII.

Feria 5, Die 18. Septembris MDCXXV.

In Generali Congregatione S. Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctiss. D. N. D. Urbano divina providentia Papa Octavio, ac Illustrissimis, & Reverendissimis DD. S. R. E.

Cardinalibus adversus hereticam pravitatem Inquisitoribus Generalibus à sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

SANCTISSIMVS D. N. pro debito sui pastoralis officij corrigere volens abusus nonnullorum in Statu Sedi Apostolicæ mediare, vel immediate subiecto existentium, qui libros à se compositos extra præfatum Statum absque vlla Ordinariis & Inquisitorum loci ubi degunt, approbatione, imprimendos transmittunt: statuit & decrevit, ut in posterum nemo in Statu prædicto degens, cuiusvis conditionis, gradus, ordinis, & dignitatis existat, libros de quavis materia tractantes, & vbiicumque compositos audeat aliò deferre, vel mittere imprimendos sine expressa in scriptis approbatione Illustrissimi & Reverendissimi D. Cardinalis Sanctiss. D. N. Vicarij, & Magistri Sacri Palatii, si in Urbe; si verò extra Urbem existat, sine Ordinarij & Inquisitionis loci illius, siue ab iis depuratorum facultate & licentia operi præfigenda. Libros autem quos contra præsentis Decreti tenorem imprimi contigerit, præter alias poenas arbitrio suæ Sanctitatis infligendas, absque alia declaratione ex nunc prohibet, & pro expresse prohibitis haberi vult, & mandat. Contrariis quibuscunque non obstantibus, &c.

Io. Antonius Thomasius S. R. & universalis Inquisitor, Not.

SACRE

INDICES
Librorum
PROHIBITORUM
E. V.
24.